

PETICION Y RESCRIPTO DE DIMISION

Puerto de Santa María [1768].

Roma, 3 enero 1769.

Beatissime Pater: Ioannes Paulus de Biscardo, scholaris ex americanis regionibus regi catholico subiectis oriundus, et dudum ad Portum S. Mariae in Hispaniis appulsus, humillimus S. V. orator, eo quo par est obsequio exponit: se in eis regionibus, habitu Societatis Jesu assumpto, iuxta formam institut praedictae societatis professionem trium votorum simplicium emisisse. Cum autem orator, ex propriis laribus avulsus, post difficilem et diuturnam navigationem, post innumeros in ea perpassos labores, in Hispaniam tandem appulerit, ubi consistere non datur nec ullibi ubi praedicta vota servarequeat, nec in patriam regredi nisi S.V., suprema qua fungitur auctoritate, praedicta simplicia vota dimittat; supplicat idcirco eidem S.V. ut pro suae conscientias tranquillitate super dictis votis simplicibus per organum Sacrae Paenitentiariae opportunam dispensationem benigne ei concedere dignetur. Quare etc.

Pro dimiss. de expr.

Sacra Paenitentiaría, attentis particularibus circumstantiis, aliisque iustis de causis sanctissimo domino nostro papae Clementi XIII expositis, auctoritate apostolica specialiter et expresse in casu de quo agitur sibi concessa, praefatum Ioannem Paulum de Biscardo, religiosum oratorem, a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, sive a iure sirve ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatur existat, ad effectum infrascripti indulti dumtaxat consequendum, praesentis rescritti tenore absolvens, et absolutum fore censens, eundem a quocumque vinculo, quo erga Societatem Iesu eiusque praepositum generalem aliosque ipsius instituti superiores, in vim votorum simplicium per eum, tu exponitur, emissorum, tenebatur, absolvit, et uti absolutum et liberum

ab eadem societate dimittit; eundemque propterea ad observatiam dictorum votorum simplicium, quatenus in proefata societate per eum emissa fuerunt, nequaquam in posterum teneri declarat, et cum eodem, quatenus opus sit, super huiusmodi observantiae obligatione in utroque foro pari apostolica speciali et expressa auctoritate dispensat; ipsumque oratorem, sublata penitus exemptione ab ordinariis locorum qua in praefata societate gaudebat, in pristinum, in quo ante votorum eiusmodi nuncupationem erat, libertatis statum plenarie restituit. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, licetaeque Societatis Iesu statutos, decretis, indultis quoque specialibus ac privilegiis, coeterisque contrariis quibuscumque, etiam si specialem et individuum mentionem requirerent; quae omnia pro hic expressis habeantur, quibusque de praedicta auctoritate apostolica sic speciali et expressa hac vice tantum et in praesenti casu sufficienter derogatum voluit et decrevit.

Datum Romae, in Sacra Paenitentiaría, die 3 ianuarii 1769.

I.C. Card. Boschi, S. P.

Loco + sigilli

Venantius Philippus Micheli, S.P. secretarius.

(Al margen:) Gratis.

Copia simple.

Roma, Archivo de la Embajada Española, leg. 547.

Batllori, pp. 178-179.